

Phil. A  
221

Philosophic: 283.

A. 226.

153.

STEPHANI GAUSSENI

S. S. THEOLOGIAE IN ACADEMIA SAL-  
MVRIENSI PROFESSORIS

DISSERTATIO

DE

UTILITATE

PHILOSOPHIAE

AD

THEOLOGIAM,

QVAE EST QUARTA INTER DISSER-  
TATIONES EIVS DE STUDIO THEOLOGICI  
RATIONE &c.

SEPARATIM RECUSA, ET PROPOSITA  
DISTINCTIOR.

FRANCISCVS BURMANNVS

*In synopsi theologiae, & speciatim oeconomiae  
foederum tom. II. pag. 653.*

Absque quo (*desiderio amicorum*) fuisset, su-  
peruacuum iudicassemus, post tot praestan-  
tissimorum hominum in hoc genere labores, &  
nuperius quoque Doctiss. & Clariss. *Antonii Pe-  
rizonii & Stephani Gausse*ni de ratione studii  
theologici limatissima scripta, vltiori-  
bus libellis a nobis mundum  
onerari.

---

HALAE,

Apud CHRISTIAN. HENCKELIVM, Ac. Typ.

CIOIOCCXXIII.

STEFANUS GALEATI

VITAE

PHILOSOPHIAE

THEOLOGICAE

IN VITAE STEPHANI GALEATI

PHILOSOPHIAE

THEOLOGICAE

IN VITAE STEPHANI GALEATI

PHILOSOPHIAE

THEOLOGICAE

IN VITAE STEPHANI GALEATI

PHILOSOPHIAE

THEOLOGICAE

IN VITAE STEPHANI GALEATI

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



O R D O  
TRACTATI ARGUMENTI.

THEOLOGIA *speclatur*

I. Vel in statu recentiori corruptoque; *de qua hic non agitur.*

A. Status corruptus, *in quo sunt*

a. disciplinæ omnes §. 1. 2. 3.

b. Philosophia. §. 4.

c. Theologia §. 5.

B. Statum corruptum theologiæ sequuta

a. facies theologiæ. §. 6.

b. utilitas necessitasue adhibendæ ad eam philosophiæ. §. 7.

II. Vel in eo statu, quo fuit ævo apostolico & hoc proxime sequuto; *de qua theologia hic sermo est*, & quæritur, an ad hanc necessaria utilisque sit philosophia? quod excutitur

1. Generatim. §. 8.

2. Speciatim *respectu*

A. Matheseos. §. 9.

B. Physiæ. §. 10.

C. Moralis disciplinæ. §. 11.

D. Metaphysiæ & Logiæ. §. 12.

Argumenta,

a. quibus Gaussenus suam confirmat sententiam. §. 13. 14.

β. dissidentium ab illo; quæ refutat.

§. 15. 16. 17. 18.

DE  
**VTILITATE PHILOSOPHIAE**  
**AD THEOLOGIAM.**

*Differendi de hoc argumento ratio.*



**H**umanissimi Auditores, statuimus de utilitate Philosophiæ ad Theologiam breuiter aliquid hodierna die disputare; vt ad elucidationem celebris quæstionis, in qua virorum magnorum laborauit industria, nostram & nos pro modulo symbolam conferamus: nam si ea demum loca lustrare Lector publicus instituat, *quæ nullius ante culta solo*, tyronum utilitati pessime consuletur, quibus utique de alio Lectore videndum erit, qui se ad peruulgata illa ducem & præmonstratorem adhibeat. Ego certe, vt de me aliquid dicam, adeo non affecto noui argumenti tractator videri, vt contra semper ita existimarim, argumentum quo pluribus dictum est & tritum magis, eo maiorem illius habendam esse rationem; tum quod quæ vulgo nota sunt, ignorare turpe sit: tum vero imprimis quod quæ maxime communia, eadem maxime esse necessaria experientia compertum sit. Agedum in studiosorum gratiam, qui nobis e Philosophia recentes adueniunt, ego de proposita quæstione nostram primum ponam sententiam: quam dein secundo loco argumentis confir-

fir-

firmabo: vt si quid ab iis, qui contra sentiunt, afferatur, vltimo profigetur.

## §. II.

*Iudicia de vsu adplicata ad theologiam philosophiæ diuersa.*

Theologorum, qui quidem animo nunc occurrunt, duplex est de vsu Philosophiæ in Theologia, eaque toto genere opposita opinio: quippe alii de Philosophia non aliter loquuntur sentiuntue, ac si ea nullo suo damno Theologus careret: alii contra de Theologia actum putant, ni in eius subsidium Philosophia aduocetur: vtroslibet sequaris, multæ vtrinque ambages, multa sese dant incommoda: nam qui omnem Philosophiæ ad Theologiam vtilitatem abiudicant, videntur illi cum experientia atque adeo secum ipsi pugnare; cum omnes rerum Theologicarum tractatores, & illi vtique, qui in Philosophiam ita inclementer dicunt, suæ disciplinæ theorematum Philosophorum canonibus vt plurimum suffulciant: qui Philosophiam contra in Theologiæ communionem & societatem adiungunt, vereri debent ne Theologiæ maiestatem rerum profanarum mixtura contaminent: & expectatis vos, opinor, vt dicam, ad vtram partem in tantis angustiis me applicem? libere dicam: neutros sequor, ita tamen vt cum vtrisque certo respectu faciam: quid autem illud sit ænigmatis, faxo vt in sequentibus intelligatis.

## §. III.

*Mutata vitiatæque discipline.*

Principio hoc vos sedulo notare velim, (quod nostra de ratione studii Theologici dissertatione subindicaui) idem prope Theologiæ euenisse, quod omnibus aliis disciplinis solet euenire, vt, cum a prima origine recedunt, prout sunt hominum ingenia, a quibus tractantur, ita varie mutantur, interpolentur, corrumpantur: fere sicut riuuli, qui aqua pura & limpida primum scatent, soli demum, quod transcurrunt, colore, frigore, odore, cæterisque qualitatibus imbuuntur.

## § IV.

*Mutata peruersaque philosophia.*

Hoc sane, ne alia commemorem, Philosophiæ Aristoteleæ fatum fuisse, mirabor, si quis sit, qui negare sustineat: nam, qui Aristotelis *doxiv* continuarunt, Theophrastus & Strato eam Philosophiæ Peripateticæ ideam animo effinxerant, quæ, quantum quidem ex sparsis hic illic illorum authorum fragmentis æstimare licet, ab ea multum recedit, quam Themistius, Simplicius, Alexander &c. in suis scriptis adumbrarunt. His successerunt scholastici, ita enim appellantur, qui nouam & ipsi Philosophiæ Peripateticæ rationem inuenerunt, quam feliciter, dicere hic nihil attinet, neque id nostrum institutum postulat, a prioribus certe duabus tota via abhorrentem: & vna tamen est philosophia Aristotelis, vt hos aut illos a recto tramite necesse sit aberrasse. Quod



Quod si quis fit, qui eandem esse disciplina-  
rum, quæ cæterarum rerum est, vicissitudinem  
miretur, næ ille in natura humana cognoscenda  
parum profecit, qui nondum obseruarit, rem e-  
andem, eidem oblatam homini, nunc fastidium  
facere, mox mutatis rerum vicibus adblandiri:  
quo minus mirum videri debet; si in tanto tem-  
poris spatio, quod inter Theophrasti æuum &  
nostrum interfluxit, accedente incredibili illa  
linguarum, morum, religionis, soli, educatio-  
nis diuersitate, Philosophiam Aristoteleam pro  
diuerso captu & sensu suis quisque vsibus, indo-  
li & institutis aptarit; vt, qui tam discrepantia  
doceant, ex eadem familia prodiisse, nisi id nos  
librorum commentariorum titulus admoneret,  
ne minima quidem possis suspicione diuinare.

## §. V.

*Facta deterior Theologia.*

Et optandum quidem fuisset, vt quantum  
Theologia supra Philosophiam eminent, tanta in  
ea tractanda homines religione vsi fuissent: at id  
secus accidisse, ita sinente Deo, res clamat, nec  
ego dicerem, nisi librorum, qui publice prostant,  
lectio indicaret: nam si a nostris temporibus  
retrosum pergendo vsque ad Apostolorum æ-  
tatem proximum quodque sæculum cum supe-  
riori conferatur, nemo erit paulo sagacior, qui  
mutationem, minutis auctibus per singula sæ-  
cula subrepentem facile non sentiat: quanquam  
enim est illa centum annorum decursu parum  
notabilis, cum plurium sæculorum accessit cu-

mulus, dici fere non potest, quantum sit, quod inde excrescit: sicut nec anni ex flore iuuentæ singuli multum deterunt, qui senis vultum universi ita deformant, ut nullus senex ab ullo sene tantum differat, quantum senex a se ipso infante distat.

Illa porro diuersitas in methodum & exteriorem quasi Theologiæ habitum grassari non contenta, in ipsas disciplinæ nostræ venas & viscera traiecta est: nam qui tribus primis sæculis vixerunt, de pluribus religionis Christianæ capitibus aliter senserunt, quam quorum vita inter Constantini & Marciani ætates interiecta est: qui dein continuo sequuti sunt ad octauum vsque sæculum, quo Iohannes Damascenus florebat, tantum de genuino illo Theologiæ colore detraxerunt, quantum non existimator modo doctus & intelligens, sed quiuis e populo possit cognoscere; vsque dum scholasticorum disciplina exorta est, quæ nouam rebus induxit faciem, & Theologiam exacuere professi nouam dedit.

Immo in ipsis illis doctrinæ capitibus, in quibus alioqui de rei summa magna est cum antiquitate consensus, tanta est in modo rei exponendæ discrepantia, ut qui eandem hodie viam insisteret, quam veteres illi sibi insistentiam putarunt, eum ab hæreseos suspitione tantorum virorum authoritas parum tutum præstaret: quotus enim quæso quisque est ex eorum numero, qui se tanquam omnis orthodoxias canonicas venditant, qui sciens & volens omnibus  
sub-

subscribat, quæ B. Athanasius de S. Trinitate commentatus est? vel qui bona fide omnia approbet, quæ B. Cyrillus, Patriarcha Alexandrinus, aduersus Nestorium disputauit? Quod autem non desint etiam nunc, qui rem ita claram, quamque ipsa oculorum inspectio deprehendit, præfracte negent, id ideo est, quod mutationem iam longo vsu constabilitam & additis etiam legibus communitam, illi ad primam originem reuocare non norint: cum eam aliquando fecerit Imperatoris, ad cuius exemplum se cæteri componunt, præconceptum aduersus aliquam doctrinam siue studium siue fastidium: succrescentes hæreses, aduersus quas dum omnia sua dogmata, ceu aciem aduersus ingruentem hostem, orthodoxi intendunt, nouam suo systemati structuram, nouas locutiones addiderunt: virorum magnorum autoritas, quorum libri paulatim ex præpostera hominum admiratione legis autoritatem obtinent: Ecclesiastarum parum prudens oratio, qui siue vt sacra a contemptu vindicarent, siue vt Catechumenorum cupiditatem accenderent, siue quam aliam ob causam, quam diuinare nihil attinet, res sæpe simplicissimas cothurno tragico & dithyrambicis ampullis exornabant: sexcenta sunt alia id genus, quæ nouæ circumstantiæ noua vsque & vsque dabunt.

## §. VI.

*Duplex inde sequuta theologiæ facies.*

Atque hinc sequitur, (eo enim tendebat oratio)

A 5

Theo-

Theologiam duplicem habere respectum; alterum ad primitiuam dogmatum naturam, sine vlla industriæ humanæ admistione: alterum ad hoc sæculum, hanc gentem, hunc hominem, qui nostra disciplina vtitur. Equidem priori illo modo spectata Theologia, quia est virtutum Dei, apud quem non est *transmutatio*, aut *conuersionis obumbratio*, viua & spirans effigies, supra omnem mutationis aleam est, & per interminabilem sæculorum seriem eadem perseuerat: sed enim, si consideretur, vt est ab ingenio humano informata, ingenii humani, cui inhæret, sortem experitur, quod quia mutabile est & ceruum flecti in opposita, nihil mirum est, si ad illius similitudinem Theologia configuretur.

## § VII.

*Vsus philosophiæ insuitu theologiæ corruptæ.*

His ita in antecessum præmissis, dico Theologiam, vt respectum habet ad homines, eam esse, quæ philosophiæ non ita commode caritura videatur: neque vero ratio difficilis est, aut nimis longe petita; cum enim omnes Theologorum ordines, quotquot sunt sparsi per orbem Christianum, in id summo consensu conspirarint, vt Philosophica Theologicis subtraherent, plane sine alis, quod dici solet, volare instituit, qui sine Philosophiæ subsidio Theologorum tractatus se intellecturum confidit: nam vt vocabula technica hic omittam, quæ prope innumerable e Philosophia in Theologiam noui Tractatores comportarunt: quæcunque præterea

de

de incarnatione, Trinitate, peccato originali, libero arbitrio & cæteris huiuscemodi vulgo disputantur, illa notionibus accidentis, substantiæ, modi, naturæ, suppositi adstruuntur, vt, qui in his nunquam institutus fuerit, frustra operam ponat.

Quid vero sophistarum griphos & nodos perplexabiles hic commemorem, quos qui ex arte, & vt solent illi loqui, formaliter non soluerit, suis fabula fiet, aduersariis ludibrium: atque ea est ratio, cur vobis subinde author esse soleam, vt philosophiam Theologiæ, si non comitem & sociam, neque enim se ipsa tanto honore dignatur, at, quod proximum est, famulam adiungatis: & sic esto conclusa distinctionis nostræ pars altera.

## §. VIII.

*Quæritur, an philosophia necessaria utilisque sit ad theologiam, spectatam in eo statu, quo fuit ævo apostolico, & hoc proxime sequutio? quod excutitur generatim.*

Verum enim ego, auditores, hac dissertatione maiora molior: quæro enim, an Theologia, non quo loco nunc est, variis variorum attrectata, vel etiam contaminata manibus, sed ab omni hominum satagente curiositate & studio abstracta, Philosophiæ cognitionem requirat, vel, vt clarius rem proponam, an iusta causa esset, cur receptis cælo Apostolis, cum res adhuc integra erat, qui illis temporibus viuebant, christiani Philosophiam in Theologiam inferrent: plerique

que fere omnes aiunt, nos negamus? vtri melius? ipsi iudicabitis, postquam in singulas partes itum fuerit.

Quidquid Philosophiæ nomine vulgo circumfertur, illud Matheseos, Physicæ, Ethicæ & Metaphysicæ ambitu continetur: quibus si quis Logicam annumeret, siue instrumentalis, siue principalis partis titulo, me non habebit magnopere repugnantem, qui istas λογωμαχίας ipse non moueam, & ab aliis motas facile alperner. Quare si hoc semel probauero, inter enumeratas partes nullam esse, cui aliquod sit in Theologia pretium, quo quidem sensu illa a nobis hic spectatur, institutum abunde opinor confecero: de mathematicis itaque primum dicamus.

## §. IX.

*Speciatim Matheseos intuitu.*

Sane si quis sit, qui Mathematicas disciplinas faciat plurimi, me eum esse lubens profiteor, qui sæpe dicere soleam, vbi ab iis discessum est, nihil in Philosophia vsquam inueniri, in quo tuto pes ponatur: cum, si quid claritatis alibi, vel in syllogismorum figuris, vel in quibusdam Physicorum demonstrationibus illucescit, illud, quantum quantum est, Mathematicorum hypothesebus acceptum referri debeat: nos itaque Mathesin (idem enim iterum dicam) facimus plurimi, ac hæctenus tantum, si se intra Philosophiæ pomoeria contineat, nec in disciplinam nostram irrumperemoliatur: nam quæ vt Philosophica mirabamur, si vltra sortem sapiant &

re-

rerum diuinarum fatagant, inepta, puerilia, stultata repente nobis fiunt: amplius dico, qui sit excellentissimus Mathematicus, eum excellentem Theologum esse non posse: causam quæritis? facilem dabo. Nempe Mathematicorum demonstrationes ad imaginationis sphæram attinent: Theologicæ contra rationes imaginationis æstimatione adeo non stant caduntue, vt iis sua aliter nequeat constare veritas, quam si intellectus ab imaginatione abducatur. Quare si quem Mathematicum, qui in sua arte conuenierit, a puluere & radio excitemus, vt nostra pro Verbi Diuini diuinitate argumenta ponderet, ille imaginationi immerfus vt est, ad sublimia illa nunquam poterit assurgere; quin consuetudine pensitandi res inferioris ordinis, tanquam pondere degrauatus, deorsum subinde relabatur: miracula proponis? tum sibi ille probari postulabit, nullam esse tantæ potentæ creaturam, quæ disiectas corporis partes recomponere, & animam in eas postliminio inducere valeat: Prophetias vrget? sibi apodeictice ostendi petet, Deum solum esse, cui rerum contingentium præscientia conueniat. Enim vero hoc ipsum est, quod vir impius, cætera maximus (cuius nomini parcere, quam sepultum infamare satius fuerit) satis aperte testatus est, quando morti proximus, cum pro more sciscitaretur, qui morienti assistebat, Ecclesiastes, ecquid de fide Christiana sentiret? *hoc vnum*, inquit, *bis duo esse quatuor*: quod qui eo rerum articulo proficitur,

tur,

tur, hoc clare videtur dicere, nihil a se in negotio religionis recipi, nisi quod cum Mathematicorum demonstrationibus de claritate certet.

## §. X.

*Intuitu Physicæ.*

Verum quoniam de Mathesi nulla adeo magnalis est, & si quis contra obnitatur, facile refelli potest, ad Physica veniamus. Equidem si quid compendii ex Physicis ad artem nostram redeat, id, quantum quidem intelligo, in duabus maxime rebus consistit: primo, quod a rebus corporeis ad incorporeas, a natura ad authorem naturæ animus euehatur: *inuisibilia enim Dei, æterna videlicet eius tum potentia tum bonitas, a tempore creationis mundi, ex iis quæ sunt condita, intelliguntur. Rom. I.* secundo, vt quædam Theologiæ capita ex Physicorum principiis illustrentur.

Primum illud existimamus maiori fastu quam effectu dici: nam qui Deum existere ex huiusce Mundi contemplatione intelligit, nihil dum habet supra Philosophum, cum quidquid ex Physica arcessitur, supra naturam non extet, Theologia autem (Christianam dico, de qua nobis instituta est disputatio) supernaturalia meditetur, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*: & vt cognitionem Dei, quam suggestit naturæ diligens speculatione, partem disciplinæ nostræ non minimam constituere concedamus, quæstio integra adhuc manebit, an sit tanti, quod ad eam rem *cursus*  
*Phy.*



*Physici* nobis conferunt: hoc enim libere fateor, me, vt credam Deum esse, nautæ, qui vtrumque mare sæpius nauigarit, auditione, aut hypomnematum, quæ de rebus, a se inter peregrinandum obseruatis, viri curiosi ediderunt, lectione, multo magis commoueri, quam omnibus acroasibus, quas vnquam Aristoteles, siue quis alius Magister suis discipulis dictauit: cum non causarum ipsarum cognitio, quæ ad nos, si verum dicere amamus, non pertinet, sed experientiæ tantum & effectuum scientia, Dei, quam in intimo pectore quisque gerit, notitiam corroboret.

Et vos quæso istos mihi videte, qui rerum causas tanta cum anxietate quæritant, & facile intelligetis, esse aliquid in natura, quod *vim ingenii humani obterit*: nam illi quidem sane, qui id vnum profitentur se scire, magnam esse inter effectus, & quas effectibus assignant, causas proportionem; cæterum se ignorare, an illæ ipsæ causæ fuerint, quas Deus adhibuit, cum ei, præter illas, innumeræ aliæ non minus commodæ aut efficaces suppeterent; illi, inquam, quid præter probabilitatem auditoribus proponant, nihil habent: neque vero Peripateticorum melior est, hic quidem certe, causa: quandoquidem enim, si eos audias, forma omnium effectuum prima & radicalis causa est, omnium autem corporum formas, præterquam hominis se nescire ultro illi concedunt, simul concedant necesse est, omnium effectuum causas a se ignorari, iis tantum exceptis (quanquam de iis etiam dubito) qui

qui ab humana natura fluunt: videte autem, quaeso, an Theologo a re sua tantum sit otii, vt in re tantilla, nisi eum, quæ pridem Theologis imposta est, necessitas cogeret, diu immorari sustineret.

Sed scripturæ ipsæ, inquiunt, multa habent, quæ sunt Physicæ contemplationis: at hoc illud est, quod ego in causæ meæ defensionem mox eram allaturus, ni illi in suæ præsidium obicere occupassent: quæro enim, an in illis ipsis Physicæ capitibus, quæ Verbum Dei tetigit, sibi a Verbo Dei recedere fas esse putent: si negent, tum datis in singulos articulos testibus facile conuincantur: quis enim est hodieque, qui Cœlum instar metalli esse constat; tellurem basi tanquam tibicine niti, sibi tuendum sumat, & sexcenta sunt alia huiusce notæ, quæ breuitatis causa prætermitto: si aiunt; ergo, inquam, quod Physica in scripturis tractantur, id fit illustrationis causa tantum, cum non, quod maxime verum est, sed quod maxime verum esse plebi videtur, authores sacri edisserant.

Superest itaque examinandum alterum, ex quo se abunde conficere opinantur, Theologiam Physicæ subsidio indigere: quippe *esse dogmata in Theologia* (hoc enim vulgo docent) quæ rerum Physicarum cognitionem supponant.

Enim vero postquam animum per totam disciplinam nostram circumegi, duo tantum capita inuenio, quibus Physicæ utilitas probabiliter prætexatur; vnum est de modo, quo peccatum originale propagatur ad posterios:

alte-

alterum de natura libertatis; in priori quærunt, quomodo materiale corporeum animam spirituales possit afficere; in posteriori disputant, vtrum liberum arbitrium cum corruptione possit consistere; quæ quia sunt *Φυσικῆς ὕλης*, nos Physicam ad eorum problematum decisionem perquam necessariam esse non negamus: at nobis altius surgit quæstio, an ipsa illa problemata sint *Theologica*, neque enim statim *Theologicum* est, quidquid in scholis Theologorum ventilatur: certe nobis non ita videtur, quibus pilo *Θεολογώτερος* non est, qui omnes istas quæstionum minutias in numerato habeat: nec vero pilulo minus Theologus, qui de his nihil vnquam audiuerit. Quis vero credat Spiritum S., cuius admirabilis est erga genus humanum prouidentia, nos eo adigere voluisse, vt disceremus ea, quæ, nisi Plato & Aristoteles, homines, ne quid grauius dicam, Gentiles extitissent, nemo forte Christianus inuenisset: sane, quam sua de modo propagationis peccati originalis inuenta aliis placeant, nescio, nec scire admodum laboro, sed profecto mentiar, si nostra nobis magnopere placere dicam, & nos tamen, quod præfiscini dixerim, eam viam nobis videmur inuenisse, quæ minoribus obstructa est difficultatibus: & eam tamen si quis minus probet, adeo non mirabor, vt ei illud Poëtæ paratus sim occinere, *non potes in nugas dicere plura meas, ipse ego quam dixi.*

Neque vero nostra de libero arbitrio absimilis est ratio: nam quæ Theologum de hominis

B

cor-

corruptione scire interest, illa paucissimis iis-  
 que clarissimis vocibus continentur: *an scilicet  
 tanta sit hominis malitia, ut propriis viribus nihil  
 boni neque velle neque perficere possit*: a quibus si  
 quis abeat Theologus, ut se in Philosophorum  
 disceptationes de natura libertatis interponat,  
 de vocibus ad fatietatem rixabitur: nam cum  
 intellectus & voluntatis suæ cuique operatio-  
 nes intime notæ sint, & vno modo omnes Au-  
 gustinus, Pelagius, Cælestius, Prosper, Cassianus,  
 Hilarius, Faustus, Fulgentius, Molina &c. intel-  
 ligant velintque, qui optet & hic habere, in quo  
 suum acumen exerceat, quam in rebus ipsis ob-  
 summam claritatem non potest, in vocibus di-  
 sputationem fundet, necesse est: huic autem  
 malo, præter innatam ingenio humano dispu-  
 tandi libidinem, nova Scholasticorum glosse-  
 mata occasionem fecerunt: pro eo enim quod  
 quis (exempli causa) quotidiani sermonis du-  
 ctum sequutus, simpliciter quæsiisset, *an homo  
 necessario velit, quod re deliberata iudicavit volen-  
 dum*, isti adscitis involucris quærere maluerunt,  
*an voluntas necessario sequatur dictamen ultimum  
 intellectus practici*: ea vero cum tyrones audi-  
 unt, eorum animum nouæ illico percutiunt  
 quæstiones de differentia, quæ inter intellectum  
 Theoreticum & Practicum; item, inter  
 intellectum & voluntatem intercedit, quæ ut lo-  
 cum suum in Philosophia optime tueantur,  
 quod (vtpote in arte aliena) definire nostrum  
 non

non est: ita per umbraticas illas disputationum formulas augustissima disciplinæ nostræ mysteria vexari, deplorari satis nequit.

## §. XI.

*Respectu disciplinæ moralis.*

Verum Philosophiæ Moralis maius in Theologia, quam de quibus hætenus vidimus, Physicæ & Mathematicæ momentum forte fuerit: ita sane multos & magnos authores video existimare: quam bene, ipsi viderint: nos, quod modo bona cum eorum pace liceat, non assentimur, qui multa huic Ethicæ supra rem non aliam ob causam tribui obseruamus, quam quod Ethicæ Christianæ nondum sublimem satis & suo nomini respondentem ideam animo præceperint Christiani: nam vt eas virtutes nunc omittam, quas sibi suo iure religio Christiana vindicauit: at inter eas ipsas, quas Theologia & Philosophia communiter excolunt, tantum est & tam late patens discrimen, vt si quam illæ sibi mutuo opem præstant, eam tenuem omnino & leuem esse oporteat. Quanquam sane in editis ante quingentos annos ad ritum scholæ systematis Ethicæ ne ipsa quidem præcepta virtutis, qualiacunque sunt, proponuntur: sed de subiecto, obiecto, causa efficiente, fine, definitionibus & diuisionibus virtutum multa problematice agitantur, quæ qui didicerit, nihilo melior; qui contempserit, nihilo peior erit.

## §. XII.

*Ratione Metaphysicæ & Logicæ.*

Hæc nos summam, ut videtis, & ὁδὸν πάρεργον percurramus, quod in iis ad propositam quaestionem parum situm putemus: cum ii ipsi, qui Philosophiam esse ex usu Theologiæ maxime contendunt, ea suæ opinioni fundamenta præstruant, quæ etiam firmissima esse daremus, si in-  
tra Dialecticæ & Metaphysicæ terminos consistere-  
rent; ut, quod ab iis de Philosophia vniuersim  
posita fuerit quaestio, in eo consuetudini potius,  
quam animi sententiæ morem gessisse videantur:  
nobis itaque redintegranda est pugna, & pro eo,  
quod hucusque rudibus tantum batuimus, serio  
nunc instaurandum est prælium.

Atque hic primum, antequam ad alia progre-  
diatur oratio, non abs re fuerit memoriam ve-  
stram de eo renouare, quod statim initio a nobis  
constitutum est, Logicam & Metaphysicam Theo-  
logo vtilis videri: tantumne? imino & neces-  
sarias, vsque eo, ut, qui iis destitutus se ad Theo-  
logiam adiungat, non minus inepte faciat, ac si  
quis olim ἀγεωμέτερος scholam ingressus fuisset  
Platonis.

Quam vero Logicam; quamque Metaphysi-  
cam hic a me commendari existimatis? Carte-  
sianamne, quam Renati Cartesii cultores tanto-  
pere celebrant? an Canonicam illam potius,  
quam ex senis Gargettii hortis collectam Petrus  
Gassen-

Gassendus nostro ævo tanta diligentia excoluit? Sane vtramque, siquidem ad vtramque sua Theologi theoremata accomodassent; neutram vero, quia neutri suam methodum Theologi conformarunt: Logicam & Metaphysicam Aristotelis maxime, quia vtramque Theologi maxime suam fecerunt: atque adeo dico pluris nobis esse studiosum, qui sit optimus Peripateticus, quam qui atomorum regnum totum lustrarit, aut omnes Cartesianas demonstrationes ad vnguem calleat.

## §. XIII.

*Argumentum primum, quo ille suum de usu Metaphysicæ & Logicæ iudicium confirmat.*

Sed non, si se in has angustias Theologi imprudentes induerunt, ideo nulla alia erat via, qua illi initio suam disciplinam expedirent: nam ut hoc primum dicam, scripsit Paulus quatuor epistolas satis longas, quibus Timotheum & Titum, non homines de plebe, sed *viros Dei*, hoc est Theologos & Doctores in iis omnibus erudit, quæ de moribus & doctrina summum Theologum scire pietas æquitasque iubent: in iis Logicæ aut Metaphysicæ ne meminit quidem, nisi quod *λογομαχίας* & stultas quæstiones insectatur, quæ si quis ad Logicam & Metaphysicam retulerit, magnis fecerit authoribus: & ille tamen, ne eam omissionem Apostoli memoriæ quis imputet, scripturam eximio hoc ornat elogio,

B 3

quod

quod sit Viro Dei πρὸς διδασκαλίαν & πρὸς ἔλεγχον  
 utilis: quam vero hic egregia sese dabat, occasio  
 elenchos Dialecticos & *Disciplinarum reginam*  
 (ita enim vocant) Metaphysicam extollendi?  
 non facit, & si faceret, male id quis quasi in Logi-  
 cæ & Metaphysicæ Aristotelis laudem dictum  
 interpretetur; illis enim, quibus Paulus scribebat  
 temporibus multi erant Stoici, plures Academi-  
 ci, plurimi Epicurei, Peripatetici paucissimi:  
 obscurum enim Peripateticorum nomen tum  
 demum orbi iterum innotuit, quando Arabes  
 Aristotelis scripta ad Europæos transmise-  
 runt.

## §. XIV.

*Argumentum secundum.*

Sed forte quas Prophetæ & Apostoli regulas  
 aliis non præscripserunt, ipsi inscribendo sequu-  
 ti sunt: neque vero id quoque: nam definitio-  
 nibus rarissime utuntur, & si quando iis utantur,  
 eas ex arte nunquam instruunt: definit fidem  
 author Epistolæ ad Ebræos capite vndecimo; sed  
 profecto parum magistraliter: cum nec genus,  
 nec subiectum, nec causam efficientem fidei as-  
 signarit: in eorum porro diuisionibus si quis vul-  
 gatos dialecticorum canones notet, næ eum o-  
 portet esse oculatum, qui videat, quod nusquam  
 est: non quod eos nunquam adhibeant, sed  
 quod id ab iis libere fiat, absque vlllo ad Logicam  
 respectu: quomodo Authores bene multi, dum  
 naturæ



naturæ & rationi obsecundant, hoc nec volentes assequuntur, vt dialecticorum diligentiam ipsi harum artium ignari imitentur. Metaphysicorum vero de substantia, accidente, natura, hypostasi, modis &c. statuta & ratas sententias ad se pertinere adeo non putarunt, vt, sicubi easdem voces pro re nata vsurpent, plane alia notione accipiant, quam qua Iohannes Damascenus & infimi æui scriptores acceperunt: cuius itaque præposteritatis fuerit, authorum scripta ad eam regulam exigere, quam ipsi non agnouerunt?

## §. XV.

*Refutatio argumenti primi a dissentientibus allati.*

Quæsierit autem hic aliquis, qui fiat igitur, vt tam multi extent Viri præstantes & eximie docti, qui Theologiam non aliter saluam fore autument, quam si ei Dialectica & Metaphysica famulentur. Ratio est in promptu, & iam a nobis superius indicata: nempe cum illi audiant Theologos Dialecticorum & Metaphysicorum technicis vocibus libenter vti: deinde, si quid nodi difficilis incidit, ad eum soluendum Logicam vindicem aduocare, tum Metaphysicas naturæ, hypostaseos, personæ, existentia, modi &c. definitiones suis institutionibus Theologicis subtexere; neque satis internoscant, quæ primæua disciplina ratio flagitet, & quæ peruersum

sum nouitatis studium, ambitio vel etiam aduersariorum importunitas invexerunt, in eam sententiam facile adducuntur, vt credant, non posse Dialecticam & Metaphysicam a Theologia diuelli, quin huius ruina illico consequatur.

In quo, vt libere dicam, eos ratio valde fugit; nam ad voces technicas quod attinet, hoc liquet deierare, me quinque ab hinc annis (tot enim sunt, ex quo hunc voluo lapidem) nihil vsque adeo obscurum & perplexum audiuisse, quod ego, & mecum alius quilibet, qui modo annitatur, non possit sermone vulgari & quotidiano declarare: quod itaque scholæ glossematibus & nos vtimur, in eo orationem nostram, quod omnino æquum est, vsui recepto mancipamus: quomodo eum Teutonice loqui par est, qui cum Germanis versetur, vt vt alias lingua Teutonice non admodum delectetur: quibus & illud accedit, quod auditoribus nostris ad scholasticorum scripta viam munimus, & simul breuitati consulimus, cum, quod longus verborum ambitus vix comprehendit, id terminus technologicus sæpe feliciter expediat: quam sane quæsitam illam breuitatem, exortis de ipso vocum vsu odiosissimis concertationibus, multo maioris sæpe constitit, quam quidquid illud erat, quod per hæc compendia lucrifacere studebamus. Quod si quis de iis nobis non credat (et si sane non video, cur experto non credatur) tum hoc vno argumento pugnabo, quod omnia  
Scho-

Scholasticorum glossemata Chrysoftomus, Hieronymus, Augustinus & alii ignorarunt, quibus nemo doctior velit esse & haberi.

## §. XVI.

*Refutatio argumenti secundi.*

Huic affine est, quod secundo loco de Sophistarum technis obiiciunt, quæ, si quidem iis credas, sola logica duce & auspice profligantur. Sed quæso, ô bone, quas cruces Sophistæ nobis figunt, vnde habent? ex Logicæ abusu scilicet; ergo, inquam, si, cum rerum nostrarum Logica primum sategit, eam res suas sibi habere & in Philosophia sola regnare Theologi iussissent, tuæ obiectioni locus amplius non esset: næ tu igitur nimium nugator es, qui nobis Logicam eo commendes, quod, quem morbum ipsa intulit, alleuet; cum malum omnino non inferre multo fatius sit, quam quod semel intuleris, postea alleuare: quomodo si quis *tabacum*, plantam nimium notam, eo nomine laudaret, quod humores abstergat, cum absque tabaco esset, nulli forte humores in corpore exundassent.

Quod non eo dicimus, quasi syllogismorum figuras, nobilissimum, & prope dicam, diui-

diuinum inuentum, aspernaremur: quin eas contra cum pluribus aliis rebus vtilissimas esse vltro concedimus, tum hâc præcipue, quod disputationibus scholasticis modum finesque ponant: nam nî communis linea ducatur, ad quam pugnetur, vt sunt hominum ingenia cedere plerumque nescia, tota res in clamores & strepitus incompósitos abibit: eorum tantum religionem, siue superstitionem non probamus, qui eam sibi & aliis conditionem ferunt, iniquamque legem imponunt, vt si se sophista intra parallogismi latebras abdiderit, eum ex hisce tenebris non aliter quam per vmbromaticas Dialecticorum formulas extrahere fas esse putent: nam aut concedendam vtramque propositionem: (eorum verba agnoscitis, auditores) aut alterutram negandam: aut distinctione vtendum esse: aut quod vltimum superest, ostendendum argumentum non esse in forma.

At ego quintum quoddam inueni, cuius authorem allegabo, quo nemo vnquam vixit celebrior, Alexandrum Magnum, vt, qui nodus solui non potest, incidatur: facile autem incidetur, si quod Aristoteles ipse suis suggestit, consilium sequamur, vt, cum se sophista effusa, instar sepiæ, caliginè abscondit, exclamemus, ἔ μανθάνω, ἔ

σὺ-

συνίημι, non intelligo, loquere clarius, illos retexe syllogismorum laqueos, categoricum istud argumentum in hypotheticum resolue: at in te, inquires, Sophista insultabit: quid tum postea? an ideo minus bonus, minus Theologus, minus accuratus scripturarum interpres eris: nugæ. Itaque securum te esse iubeo, & in sinu tuo gaudere: clamabit Sophista, te non esse *valentem* Dialectum, & tu ei verbi diuini ignorantiam opprobrabis.

Quod si porro pergat te illudere, vt sunt Sophistæ proterui & impudentes, tum tu eum suis artibus conuenito, & electram, conuelatum, mentientem, metentem, superpositum, *πεγαίνοντα*, cornutum, crocodillum &c. quæ nota sunt apud Stoicos fallaciarum nomina, ei & tu vicissim inter disputandum soluendas pone: & reponet, scio, se eas soluere non teneri, neque enim Stoicis operam vnquam dedisse: ibi tu iam ab illo quære, quodnam tantum sit Organi Aristotelis priuilegium, & cuius literarum dictatoris auctoritate firmatum, vt elenchos quidem Sophisticos Stoicorum, qui soli olim in Dialecticis regnabant, & ob summam in ea arte præstantiam proprio iure Dialectici appellabantur, ignorare impune quis possit, Aristoteleos nemo, nisi qui certum velit famæ facere dispendium.

Hæc

§. XVII.

Hæc sunt, quibus omnem Sophistarum  
peruicaciam retusum iri speramus, nisi sa-  
ne omissis istis concertationibus, quod for-  
te tutius est, malis istis hominibus versus se-  
quentes opponere.

*Quo te ambulando cunque veritas gentium,  
Vitare non est disputatorum genus  
Procax, proteruum, fastuosum, garrulum,  
Quos pacis hostes vltima hæc ætas tulit:  
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,  
Et questionum tristitate condiunt  
Natas in usum sobrii risus dapes.  
Hos nec decorum est, nec tuum refellere.  
Tali hoste victo quis triumphus te manet?  
Luctante eodem pugna gliscit acrior.  
Nec dignitatem fronte ferrea pudor  
Expressus auget; claritatem nec dabit  
Extorta rixis veritas. In iurgiis  
Vicisse nolle, quem queas, victoria est.*

§. XVII.

*Refutatio argumenti tertii.*

Sequitur tertia obiectio, quæ a nobis  
in vltima acie locata est, quod in hac illi,  
vt olim Romani in Triariis, præcipuum  
causæ suæ ponant præsidium: nam cum  
duo

duo priora externa tantum esse Theologiæ adminicula fateantur, hoc vltimum de natura accidentis, modi, suppositi, existentiae &c. illud demum esse contendunt, quod ad intimam dogmatum naturam pertineat: & antequam quidem ego quidquam respondeam, hoc vniuersim dico, nec hanc, nec similes, quæcunque sunt, decidi posse quæstiones, ni prius Theologi inter se de communi quadam nota conueniant, qua omnes, quæ Theologicarum titulo & nomine proponuntur, signari quæstiones oporteat: alioqui enim si quod quilibet otiose somniarit, id ei liceat, vt somniis suis pretium faciat scilicet, Theologiæ imputare, nullus vnquam ineptiarum finis futurus erit: eo enim fiet, vt si suos ille admiratores habeat, vt audacibus istis admiratores nunquam desunt, intra triginta quadragintaue annorum spatium, qui est vsucapioni apud Iurisconsultos conditus terminus, meteorismi illi locum disciplinæ nostræ honoratissimum occupent, & canonum vim habeant.

Sumamus, exempli causa, celebratissimum illum Rabbi Ægyptium, (qui primus inter Iudæos ineptire desiisse dicitur: ille aurei libelli & nunquam satis laudati *de fund. leg.* duo prima capita ita conclusit: *Expositio omnium articulorum in duobus istis capi-*

*pi-*

pitibus vocatur opus quadrigæ: mandarunt autem prisca sapientes, istas res proponendas esse non nisi apud unum tantum, qui cognoscat ac sapiat suo intellectu; deinde tradant illi principia capitum; atque eum paucillum hac de re erudiant: ipse autem cognoscat proprio intellectu, atque intelligat finem ac profunditatem huius rei: ista enim usque adeo abstrusa sunt, ut nullus intellectus capax sit intelligere ea &c. Themate vero XVI. capituli quarti hæc habet: Omnia ista, quæ diximus in hac materia, sunt tanquam gutta e situla, atque sunt res abstrusæ; sed non sunt tam abditæ, uti est materia capituli primi & secundi. Expositio autem omnium istarum rerum, quæ capite tertio & quarto continetur, vocatur opus Bereschit: & præceperunt antiqui sapientes, ne istas conclusiones publice exponerent, sed tantum uni homini priuatim has res indicarent & docerent. Hæc ille.

Quibus auditis, quis quæso, qui modo quatuor hæc capita nunquam legerit, sponsonem quamvis non faciat, sapientissimum virum lectoribus suis omnia disciplinæ Iudaicæ arcana referasse. Pro eo quid ille pudet dicere: capite tertio & quarto, quibus opus Bereschit enarrauit, omnia ad verbum transtulit, quæ de materia prima & forma; de quatuor elementorum natu-  
de



ra, qualitatibus & transmutationibus: item de orbibus cœlestibus & eorum soliditate Peripatetici in scholis pueros vulgo docent: capite vero primo & secundo, quibus *opus Mercaue* describitur, ea de Dei simplicitate & scientia, nec non de Angelorum ordinibus & attributis dissertavit, quæ nostri speculatores suo acumine fere indigna esse putant; ita clara nunc videntur, in quo Mo-  
 sis ὀψιμαθίαν quiuis facile deprehendat: quanquam enim esset ille in patriis ritibus exercitatissimus, erat tamen in iis, quæ ad Aristotelis sectam attinent, ὀψιμαθής: est enim, ut A. Gellii verbis dicam, *id vitium plerumque seræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant, ut, quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, cum id scire aliquando cœperis, magnifacias quo in loco cunque & quacunque in re dicere: nam illa quidem sane, Moses, quæ tu tam magnifice prædicas, ad fundamenta legis non magis spectant, quam terra ad cœlum, aut oriens ad occidentem.*

Enimvero ut ad institutum nostrum propius iam accedam, si multa, quæ olim in scholis disputata sunt, hodieque disputantur, sint Theologici fori, plane impudenter faciat, qui neget Metaphysicæ ad ea declaranda opem requiri: pauca quædam, gustus causa, hic dabo: an Deus possit re-  
 la

lationem producere sine fundamento & termino? an possit naturam vniuersalem producere & conseruare sine singularibus? An quælibet persona possit quamlibet naturam assumere, quomodo Verbum humanam assumpsit? An vnum suppositum creatum possit alteram naturam creatam assumere? An Deus assumpserit indiuiduum humanum, an speciem? An numerus personarum in diuinis pertineat ad substantiam, an relationem? Et an ad primam intentionem, an secundam? An in Deo sit intellectus agens & patiens? & si quæ sunt alia huius commatis, quæ poteritis videre apud Des. Erasmus commentario ad caput primum prioris Epistolæ ad Timotheum. Sed nos profecto non ita sumus stolidi creduli, vt, vbicunque Dei aut Christi audimus fieri mentionem, in eo disciplinæ nostræ fata verti in animum inducamus: quin certum est, tantisper, dum Theologi meliora doceant, nihil Theologiæ transcribere, nisi quod scriptura exerte tradiderit, vel Apostolica Traditio (nam hoc de Traditione etiam dabimus, ne quis de Traditione intempestiue lites ferat) ad nos transmiserit.

Iam autem inter ea, quæ ex verbo Dei deriuata esse certo constat, duo tantum

tum

tum occurrunt, in quibus explicandis ad Methaphysicam recurritur, S. Trinitas & Verbo incarnatio, vt, si duo illa subtilitatibus Metaphysicis minime indigeant, nihil præterea habeant Aduersarii, quod opponant: quantum igitur illud sit & quam late pateat, quod Theologi ex Methaphysica hac in parte mutuuntur, examinare breuiter iuuat.

Et primum quidem cum supra dictos articulos necessarios esse ad salutem communis statuatur Theologorum opinio, multi autem Christiani seruentur, qui de supposito, existentia, modis &c. nihil vnquam audiuerunt, facile est ad colligendum, si quæ horum sit in doctrina de Trinitate & verbi incarnatione utilitas, eam ad ipsam horum dogmatum medullam & essentiam non spectare; hoc primum.

Deinde, cum, qui ante exortum Arrium, Nestorium, Eutychem &c. extiterunt, viri doctissimi simul & sapientissimi nihil eorum ignorarent, quæ fundando vtrique articulo idonea essent: quos tamen contemplationum Metaphysicarum parum peritos fuisse, librorum, quos scripserunt, lectio satis probat: & hoc secundo sequitur, per accidens factum fuisse, occasione  
 C scili-

scilicet Arriani & Nestoriani erroris, quod istas distinctionum argutias Theologi suæ disciplinæ cœperunt transcribere.

Atque adeo (quod quasi vice corollarii e superioribus elicatur) si quis in iis regionibus versetur, in quibus illa lues nunquam grassata est, & ne grassetur, nullum amplius est periculum, nihil admodum causæ esse, cur se in iis inquirendis Theologus fatiget.

Quibus ita constitutis, quæstio, si quid video, tota huc redit, ut quærat, quanta sit Metaphysicæ utilitas ad eas profligandas obiectiones, quibus Hæretici doctrinam Ecclesiæ de tribus personis diuinis & de Verbo incarnato labefactare moliuntur.

Verum cum Hæretici sua argumenta vel ex scripturis, vel ex ratione extorqueant; quæ sunt prioris generis, facile sine Metaphysicorum acumine, cum verbum Dei vi sua nitatur, & sibi ipsi munitissimum sit præsidium, refelli nemo, opinor, negabit.

Super sunt itaque ea argumenta, quæ menti humanæ illa, quæ in his mysteriis apparet, repugnantia statim obiicit: iis vero (ut ad propositam [superius] obiectionem di-

directe respondere incipiam) nego constringi Theologum, qui extra Theologiæ limites non procedat; cum Theologo (iuxta ea, quæ dissertatione de *natura Theologiæ* a nobis iacta sunt fundamenta) id vnum suæ artis ratio præscribat, vt reuelationem diuinam interpretetur: quare quodcunque tandem ponat Theologus, id debet Dei authoritate comprobare: quod ni faciat, explodetur; si faciat, frustra aduersus authoritatem Dei ratio oblatrabit: statim enim audiet: vtri vis potius credamus, tibi, an Deo? visne esse sapientior Deo?

Atque ea est tutissima omnium via, a qua si quis vel transuersum vnguem deflectit, vt cum Sophistis in ratiocinando paria faciat, cum suæ dignitatis parum memor est, tum de disciplinæ suæ maiestate multum delibat: nos certe, qui per totos quatuor annos Dialecticam & Metaphysicam publice prælegimus, si quando mos, imperiosa res, iubeat, vt, quæ ratio contexit, ratione dissoluamus, toties rubore totti suffundimur, qui hoc tacito conscientiæ sensu intelligimus, nos supra hominum vulgus, extra voces technicas, nihil sapere, parum autem liberale esse facinus voces, hoc est, fumum tanto cum apparatu e cathedra venditare.

Neque vero quenquam esse arbitrer paulo cordatiorem virum, quemque religionis Christianæ cura tangat, qui nos de ratione formali suppositivitate, modi, hæcæcitatis acriter, quasi de summa rerum ageretur, disputantes audiens, Theologiæ vicem non doleat, cuius res ita in arctum adductæ sint, ut ni Suaretzii, Fonsecæ & Scriptorum huiusce ordinis opinio obtineat; prima, siquidem iis credas, religionis Christianæ fundamenta subruantur.

Et scholasticis tamen (si verum absque que προσωποληψία amamus dicere) ea disputatio multo quam veteribus cessit feliciter: nam si quæ Athanasius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus A. Maximus Martyr, siue quis alius Dialogorum de sancta Trinitate author est, & alii bene multi ex philosophia ad unitatem essentiæ cum personarum triade conciliandam adduxerunt, ad viuum refecerunt, plane sequitur, eos unum esse Deum non alia ratione existimasse, quam quomodo nos *Petrum, Paulum & Timotheum* unum esse in specifica naturæ humanæ unitate hominem existimamus; quod quid sit, vobis iudicandum relinquo, animus enim dicere horret: at bene & pie Christianis factum, quod quam viri sanctissimi, quorum memoria est in ecclesia Dei benedicta,  
con-

consequentiam toto animo detestabantur, iis non imputarint: quam animi æquitatem si vbique & aduersus omnes seruassent Theologi, haud paulo meliori loco respublica Christiana nunc staret.

Dixeris, itane ergo longo iam vsu trita vocabula, ὁμοῶσιον, hypostasis, persona, & si quæ aliæ sunt, eadem nota signatæ voces, e Theologia eliminanda putas: μή γένοιτο, quin parum verecunde nobis vitus est vir doctus facere, qui id edito nuper libello aggressus est demonstrare: nam si nihil aliud, at nos antiquitatis reuerentia teneret, ne voces sollicitaremus, quæ sunt sua, vt ita loquar, canitie & vetustate venerabiles. Hanc tantum velim adhiberi cautionem, vt, ne quis iis hodie plus authoritatis tribuat, quam primi earum authores olim tribuerunt; illa autem eo fine tota constitit, vt fidei orthodoxæ symbæla essent, quibus, velut data in bello tessera, ciues ab hostibus, ita ecclesiæ filii ab hæreticis distinguerentur.

## §. XVIII.

*Conclusio Dissertationis.*

Horam audio: vt itaque orationem verbo concludam, philosophandum dico,  
 C 3 etiam

etiam in Theologia, *sed*, ut ait ille, *paucis*:  
nam ut semitheologo, cui ingenium conti-  
gerit inquietum, nihil est in ecclesia & in  
republica pestilentius; sic in Theologia  
summo Philosopho, quem Dei gratia non  
coërceat, nihil fere perniciosius. Quo  
nos earum synodorum sapientiam magis  
miramur, quæ quum de candidatis S. Mi-  
nisterii experimentum capiunt, an ii sint,  
qui ecclesiæ Dei fidelem & utilem operam  
navare valeant, eam methodum sequuntur,  
ut ex Dialectica & Metaphysica ea breuiter  
prælibent, quæ sibi Theologia adoptavit:  
dein studiosos de iis authoribus leuiter  
interrogent, qui τὰ καθολικὰ historiae ec-  
clesiasticæ tradiderunt, ut hoc compendio-  
se præmissis examine, tum integrum ex v-  
troque Testamento caput grammaticæ cum  
temporum vel locorum, ut res ceciderit,  
notatione enarrandum proponant; quo,  
quantum illud sit, quod in legenda scriptu-  
ra officium illi fecerunt, ex eo specimine  
dignoscatur: nam nos profecto, quibus id  
negotii datum est, ut ad puteum Iacob ex-  
cubemus, ita pridem existimamus, hanc  
nobis unicam superesse rationem, qua ad  
lectionem scripturarum tyrones extimu-  
lentur; nam quia hæc ætas laudis amore  
plurimum ducitur, ea videmus sibi studio-  
fos parare, quæ sibi solenni illa die futura  
esse



esse ornamento confidunt, cætera plerumque negligere, quorum non magnam a patribus in studiorum examine haberi rationem audiunt.

Atque ita nemo Vestrum non videt, Auditores, quod nos ostensuros recepimus, nihil iam Oedipo interprete opus esse, ut, quod initio proposui, ænigma dissolvatur, scilicet, *me, cum ab iis iuxta dissentiam, & qui Philosophiæ utilitatem ad Theologiam multum extenuant, & qui eam in immensum extollunt, cum utrisque tamen certo quodam respectu facere.*





~~Philos. A 221~~  
Philos. A 221

